



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. An, & quo pacto contra repetentem beneficium, spontanæ renuntiationis exceptio opponi possit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

terius coram Papâ resignare (cùm in tali casu nec det temporale pro spirituali, nec pactio aliqua illicita interveniat) neq; Simoniaca resignatio est, resignare beneficium, cum reservatione pensionis certâ; si coram eo fiat, qui potest beneficio imponere pensionem, cùm nec in isto casu, pactio interveniat, cogens illum, qui admittit renuntiationem, ut pensionem imponat, sed supplicet tantùm resignans pro pensione sibi reservandâ, quàm alter in gratiam resignantis liberè imponere potest, vel resignationem non admittere; vel si pactio aliqua interveniat inter eum, qui resignat, & inter eum, cui resignatur, illa tantùm sit sub conditione Papæ approbantis. Quod si tamen resignans in favorem tertii absolute cum eo paciscatur, ut expensas & sumptus in acquirendo beneficio, aut huius possessione &c. factos, sibi restituat, ex probabiliori sententia Simoniaca resignatio est, cùm omne pactum in rebus spiritualibus de onere temporali à jure Canonico reprobetur: quo modo etiam illicita & Simoniaca est illa transactio, quâ partes litigantes propria auctoritate inter se conveniunt, ut una pars lite, & jure beneficii cedat, altera verò temporale quid det, expensas v. g. factas restituat c. cum pridem 4. de par.

§. III.

An, & quo pacto contra repentem beneficium, spontanea renuntiationis exceptio opponi possit?

Repentem beneficium, sive jus proprietatis in beneficio, obstat spontaneæ renuntiationis exceptio, & admitti debet, etiamsi nulla causa factæ

renuntiationis fuerit expressa, modò probati possit à reo exceptio: & hinc quamvis actor suæ petitionis causam exprimere debeat, & proponere in judicio c. 2. de libel. oblat. reus tamen causam suæ exceptionis exprimere ordinariè non tenetur, cùm sint favorabiles partes rei, quàm actoris, & hic ad obligandum alterum agat, ille ad se liberandum. Si tamen beneficiatus actor ad recuperandam possessionem, quâ spoliatus fuit, agat, & probare velit spoliationem, non potest illi factæ renuntiationis exceptio objici, nisi prius restitutus sit, cùm spoliatus ante omnia sit restituendus.

§. IV.

De renuntiatione beneficiorum, qua fit per Procuratorem.

Potest quidem renuntiare aliquis beneficio suo, non tantùm per se ipsum, sed etiam per Procuratorem (quod enim quis potest per se ipsum, id ipsum potest etiam per alium, nisi jure prohibeatur) & quidem non tantùm per Procuratorem Clericum, sed etiam per Laicum (cùm etiam Laici possint tractare res spirituales, si nudum ministerium, sive mera executio illis committatur) sive unus, sive plures Procuratores ad resignandum constituti sint, & vel quilibet in solidum (quo in casu datur locus præventioni in resignando) sive, ut omnes jure renuntient &c. Plura tamen adhuc alia requiruntur, ut legitima sit constitutio Procuratoris ad resignandum deputati: & 1. quidem non sufficit mandatum generale, quamvis cum libera & amplissima potestate datum sit, sed debet intervenire ad multas fraudes